Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1705
Quelle:
Copyright:

plo praesenti extremum est *trium Mariarum* discrimen.

DCCX.

U.471 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 128. f. per duas columnas non una manu exaratus, rubricis distinctus, et olim a M. *Thoma Haselbachio* legatus *ad Collegium*, ut praefertur, *Beate marie virginis domus rubee rose aput fratres predicatores in Wyenna* varia ad *Henricum de Langenstein*, dictum *de Hassia*, primum Gymnasii nostri Plantatorem, ut in ejus Vita P. I. *Scriptt. Univ. Vien.* p. 35. adpellatur, pertinentia continet, quae ordine indicamus. I. videlicet occurrit, quemadmodum in calce dicitur, *Exposicio Pater noster Magistri Heinrici de Hassia pie memorie.* Inscripta est illa *Ekchardo* (Derschio ✠ 1405.) *episcopo Vurmaciensi*, et incipit: *Diuina sapientia rebus omnibus decorem ordinis* &c. ut apud *Trithem. n.* 684. et *Pezium* in *Dissert. Isagog. T. I. Thes. Anecd.* p. 77. item in duplici vetusta Editione *s. l.* et *a.* quarum una f. altera 4.

II. *fol.* 7. succedit, ut habet calx, *Prologus Biblie per illuminatum quendam Magistrum ac professorem sacre Pagine Heinricum de Hassia editus*, qui ita orditur: *In principio creauit deus celum et terram. Ita scribitur in capite tocius diuine scripture que incipit a libro genesis quem ideo exponere intendo adiuuante Domino ut in Wiennensi vniuersitate nouum sacre theologie studium incipiat a capite vniuersalium diuinalium scripturarum.* &c. *Urbani* VI. Bulla, quae Academiae *Vindobonensi* Cathedram theologicam adtribuit, est anni 1384. Ad hunc igitur, aut sequentem annum *Prologum* nostrum referemus, qui maxima sui parte commentatur in Epistolam *Hieronymi* ad *Paulinum* Bibliis praefigi solitam, et in ejus Praefationem in *Pentateuchum* ad *Desiderium.* Ex ejus mole facile conjicias, quam vasta futura sit ipsa sacri Textus expositio, de qua in classe sua agimus. Norunt *Prologum* hunc *Fabricius*, *Pezius* &c.

III. *fol.* 108. p. 2. Brevis Institutio de *Indulgentiis*, quae incipit: *Notandum. Ad hoc quod indulgentie valeant, quatuor requiruntur principaliter. Requiritur enim auctoritas in conferente, ydoneitas in recipiente, pietas in fine, vtilitas in opere* &c.

IV. *fol.* 110. Sermones III. de B. V. *Maria.* 1) In Annuntiationem: *Dixit Maria ad angelum. Quomodo fiet istud. Scriptum est Luce primo et in euangelio festiuitatis hodierne, Patres et Domini Reuerendi. Si magna et mirabilia huius festiuitatis velimus contente pensare misteria* &c. 2) ut in calce: *Sermo predicatus per Reuerendum Magistrum H. de hassia de conceptione gloriose Virginis Marie* 1398. in illud: *Edificauit Dominus Deus costam in mulierem. Scribitur gen. 2° capitulo.* Init: *Ad laudem gloriose virginis marie de ipsius conceptione quam deuocio quorun-*